

IV CENTENÁRIO
DA FUNDAÇÃO
DA UNIVERSIDADE
DE ÉVORA

N.º 344,382


EXPOSIÇÃO BIBLIOGRÁFICA

1559 — 1959

VIII CENT. DA
RECONQUISTA
CRISTA DE ÉVORA

— . —

EXP. BIBL. E ICON.
B. P. E. — N.º 361



Biblioteca Pública e Arquivo Distrital de Évora

Título *Proteus*
Autor *Manuel de Faria*
Cota *Res. 360*

Nome, Profissão, Residência	Data da consulta	Objectivo da leitura	Pag. transcritas e fotografadas (nome e indicações da provavel publicação)
<i>Luis de Matos</i> <i>Prof.</i> <i>Lisboa (Lusit.)</i> <i>Ph. e Set. Antiqu.</i>	<i>7</i> <i>X</i> <i>43</i>	<i>Proteus L.T.</i> <i>Lat. Res.</i>	<i>Cópia de texto e</i> <i>vº</i>
<i>José Manuel Faria</i> <i>Capelão Militar, Évora</i>	<i>24</i> <i>T</i> <i>957</i>	<i>A vida e obras de Resende</i>	

Handwritten notes in the first column of the top section.	Handwritten notes in the second column of the top section.	Handwritten notes in the third column of the top section.
Handwritten notes in the first column of the middle section.	Handwritten notes in the second column of the middle section.	Handwritten notes in the third column of the middle section.
Handwritten notes in the first column of the bottom section.	Handwritten notes in the second column of the bottom section.	Handwritten notes in the third column of the bottom section.

res. 360-A

L. A N D R E Æ
R E S E N D I I I N
O B I T V M D. I O A N -
N I S. I I I. L V S I T A -
N I A E R E G I S, C O N -
Q V E S T I O.

P E R M I S S V E T A V -
t o r i t a t e R e u e r e n d i s s i m o
r u m p a t r u m I n q u i -
s i t o r u m.

O L I S I P O N E,
A p u d I o a n n ĕ B l a u i u m
T y p o g r a p h u m
R e g i u m.

Mense Iulio.
1557.



*P*ro superi, quid enim quā cælum implere que
relis,
Possum aliud? pro heu superi, quo tristia no
stra.

Gentis fata ruunt? regnū ne exstinguere nomen
Atque decus struitis, quod uos ex omnib. unum
Intacta pietate colit? quod numina uestra
Et tremit, & prisca sub religione ueretur?
Certe summe pater, summi & patris unica proles,
Tūq; ab utroque Deus nexu conflata perenni,
Sancta trias, tersancta monas, quum cætera fœdis
Disideant sectis regna Europæa, nec ulla
Non rea sint diuūm de maiestate minuta,
Impolluta manet tibi Lusitania, ritu
Inq; dies horâsq; magis deuota uetusto.
Perq; procellosum late uictricibus armis
Oceanum fert signa crucis, cælestia gentes
Sacra docens uarias, seu quas uastum æquor Atlantis,
Vsq; sub Eois, & primi litora Phœbi,
Seu quas aduersis ambit de partibus arctos.
Hanc igitur supremæ parens exscindere gentem,
Hoc regnum delere paras? en regia meret
Squallida funeribus, paucis uacuata sub annis.
Siccine iam pridem tibi Lusitania nullus
Non feralis erit, non & funestus abibit
Annus? & in pullo semper marcebis amictu?
Siccine tot regum series intercidit illa,
Quæ tibi de magno dudum Emmanuele uigebat
Regno habilis, sceptriq; capax, uirtute superba?

Mitto alios. ingens ubi nunc Vernandus? ubi ille
Inclytus Alphonsus, quem purpura sacra tegebat?
Viuida vis animi, & uirtus generosa Duartis,
Quam cito defecit, uiridi subcisa iuuenta?
Magnanimus Lodouicus ubi est? ubi dextera fortis,
Robur & excellens, uno quo Carule fisis
Sperasti ambiguum tibi de Tunete triumphum:
Ad regem uenio, fratrum qui maximus ortu,
Sceptra patris sancto tenuit moderamine, quuius
Si spectes quoties Lucinam experta fauentem
Vxor magna fuit, praesto est numerosa propago.
Si spectes quoties Libitinam expertus uterque,
De grege bisquino nullum supere se dolebis.
Tot pueri immaturi æuo, tot morte puella
Absumptæ uacuam liquere parentibus aulam.
De numero tanto minimus qui forte superstes
Attigerat tria lustra puer, formosus, & ultra
Humanum egregia puer indole, iamque maritus,
Iam gener Augusti, iam sponsam implerat, & ecce,
Me miserum impediior lacrymis, nec uerba dolori
Sufficiunt, leuis umbra fuit puer ille decorus,
Vix dum completis cum coniuge mensibus octo.
Et noua nupta, prius uiduam se denique uidit,
Quam matrem. seuumque coacta misella dolorem
Deglutire, iterum fletu ne laderet ægro,
Anxiferos questus ad nixus distulit horam.
Scilicet ut nobis animosa puella futurum

Quum pareret regem, uitam ipsa exosa molesta,
Tormentis animam efflaret cruciata duobus.
Lacturas tamen has, seniore superstite nostro,
Qui patriæ, potius quam rex, pater atque magister
Iure bono dicendus erat, moderatius atque
Quam pro re paulo tulimus constantius, unde
Cladibus in tantis solatia quærebamus.
Et merito. quid enim? septem compleuerat æquo
Semper olympiadas regno, mitique regebat
Imperio populos, nec signa tyrannidis unquam
Vlla dedit, potius de mansuetudine summa
Forte redargutus uulgi sermone, putantis
Eximium bellare decus, regumque furores
Iudicio ac voto male suspicientis iniquo.
Non equidem bellis, susceptaque gesta que rite
Sint modo, detracto, nec mens tam denia nobis
Unquam erit, ut nostrum fuerit quibus artibus auctum
Imperium, æque bonis partum maioribus, harum
Pæniteat. Sed uix unquam tam iusta mouebis
Arma prior, multum sceleris quin traxeris inde.
Vix etiam tam bella geres feliciter unquam,
Quin ex ijs capias incommoda maxima uictor,
Ut satius de iure tuo decedere paulo
Sit tibi, ne belli sortem experiare cruenti.
Hæc igitur sapiens quum rex bene nosset, & illi
Vna salus populi, quam martia gloria, longe
Esset cara magis, totam exardentia pridem

Bella per Europam, nostras contingere terras
Non fuit, dulci refouens nos undique pace.
Sæpe suas Bellona faces torquere parabat,
Sæpe faces illi prudentia regis ademit.
Pro pietate tamen, pro religione tuenda,
Pròque fide in superos, ducibus quam bella frequenter
Mandarit scieritque suis, grauiore cothurno
Est opus. hoc præstet facili Pinarius ore,
Æternis mandat qui regia tempora chartis.
Me dolor indomitus, crudumque in pectore uulnus
Vix hæc pauca finit turbato scribere sensu.
Dicere summatim sit fas mihi, singula magni
Regis ut expendas exanime facta seüero,
Aut nihil, aut minimum inuenias quod carpere possis,
Quum tamen obcurrant passim tibi cætera, morsu
Deterere inuidiæ quæ non queat hostis iniquus.
Iure igitur nobis illo uiuente ruinas
Erigere inflicta, uel sustentare dabatur.
Ariete fatali sed nunc impulsæ columna
Qua nitebatur patriæ spes, omnia latè
Conquassit, casumque grauem fortuna minatur,
Numina ni nobis pia subueniatis, & igni
Scintillam ex tanto reliquam superesse uelitis,
Hei mihi quam tenui filo pendemus. habenas
Suscepit regni de lacte tenerrimus infans,
Qui crepitacillum à sceptro distinguere, nondum
Nosse per etatem potis est, licet omnis in illo

Viuit

*Viuu it imago patris, facies & auita resulget.
Cresce puer, rex cresce puer, puerique parentis
Posthuma progenies, & aui iustissima cura,
Cresce oro, atque annos uita genitoris ademptos
Viue, & uiue tuos. sic uulnera nostra coibunt.
Et tu Vincenti caeli decus, & decus ingens
Vrbis Odyssae, quae te ditata sepulto
Vna caput cunctas tandem super extulit urbeis,
Huc ades, & si te uates tuus ille mouere
Non mereor, ciueis facilis tibi cerne dicatos
Deformeis luctu, mutata ueste nefastos.
Tu quoque qui puerum dias in luminis oras
Eduxti, nomenque tuo de nomine signas,
Nomen ab augusto quod deflexere Pelasgi,
Diue faue, quondam pro Christo expositae sagittis
Pectora uulnificis, unde & tibi rector olympi.
Numen habere dedit magnum, saeuâque leuanda
Pestilite potens, bene quod testantur Olysis
Mœnia Dulichij, per te seruata patronum.
Ergo age, funereas abigas bonae Diue sagittas:
Sedibus à nostris, à nostra longius aula.
Quin ambo clari praesenti numine, sessis
Ferte boni modo rebus opem, si uestra quotannis
Sacra pij colimus, si altaria semper adimus,
Ac redeunte nouo si templa reuissimus anno,
Floribus hibernis uelati tempora pompis,
Arte laboratas ceras flammisque coruscas.*

Gestantes manibus, & carmina persoluentes.
Interea teneros donec firmauerit artus
Rex puer, & scepro sit idonea dextra gerendo,
Tu celsi regina animi, uiduata marito,
Saucia mæstitia licet, & licet obruta sæui
Mole doloris hebes, muliebre suppressum luctum,
Ac mentem ad curas potius compone uirileis.
Munia obi mage grata uiro, meliora nepoti.
Est quicum ingentis aut participare labores,
Consilia aut conferre queas de rebus agendis,
Romani Henricus merito pars prima senatus,
Quem columen patriæ de tot modo fratribus unum
Ipsa uidet, uideatque diu precor. ille labantem
Excipiet humeris ne pessum eat. ille parentis
Adfectu, & magni patruī indulgentia, herilis
Pupilli curam geret, obsequiūque fidele
Præstabit. Seruate pie bona numina gentis
Reliquias, seruate decus cum rege uetustum.
Sin aliter uisum, & regni stat perdere nomen
Me prius, en me me scelerata perditte morte,
Me prius æternis nox obruat illa tenebris,
Postquam nulla dies iterum exspectanda, sed umbra
Atque chaos stygia conuoluens omnia Lethe.

